D. Jacobo Grynæo D. Pareus. 3 Oct. 1604
36.

SALUTEM. Jam pridem debitor sum: sed distuli hucusque scriptionem, ut quod meditabar alterum adversus Jesuanitas hominum genus exitio Ecclesiæ natum, ἀντίδοτον unà mitterem: quod remoræ variæ in Octobrem differre coëgerunt. Vestrum aveo audire judicium de hac alterâ ἐξετάσει, quibus prior displicuisse visa non est. Malim argumenta tractare alia ex Theologiæ visceribus sumta, quàm hæc arida principia. Verum illa cogor nunc aliis relinquere, postquam me semel Jesuanitarum protervia in hanc arenam protraxit. Adversarius meus, quia partes suas non ita benè tuitus fuit, Spirâ Moguntiam est avocatus, et datus ei successor alius doctior, fortè nequior. Pater verò quidam Moguntinus operæ pretium duxit socii partes juvare maledico scripto, quod fortè ad vos etiam perlatum est. Cum scurris effrontibus certare nemo prudens velit. Causa tamen Ecclesiæ deserenda non est: quam si tam solidè nobis excuterent, quàm protervè de eâ Ratisbonæ suis adversariis excussâ gloriantur, haberet sanè Anti-Christus de nobis paratum triumphum. Normam Scripturis spero me vindicasse satis. De judice obscurior quæstio, necdum meo judicio satis explicata. Dabo operam, ut proximè à me illustretur. Tua porrò, frater honorande, παραινετικὴ καὶ ἱστορικὴ proxinia, jucunditate me summâ perfudit. Repetivisti compendio curriculum et exitum antecessorum nostrorum, quorum memoriam colo

in Domino. Utinam liceat mihi saltem extremas attingere.
A Domino est ἑκκρότης nostra. τὸ καθ' ἐμὲ προθυμον,
crede mihi, est veritatem et pacem sectari in omnibus. Et
nunc spero huc meum remis velisque contendere apud nos
omnes: postquam fluctus illi, qui nostram turbarant mare,
aurâ divinitus adspirante sedati sunt. D. Quirinum fidem
παρασάτην jam pridem experior et tuâ commendatione
magis colo. Tertium similem optarim. Sed etas paulatim
talem nobis fortè efficeret. Gratias verò ago et Deo no-
stro, qui nos in sancta pace conservat, et tibi, qui stu-
dium et amorem nostri non deponis, sed de nobis optimè
mereri pergis. Sentio nos ad officia ἀντιφιλίας tibi ad-
stringi multò arctissimè. Dominus Tibi compenset, quod
in nobis defuerit. Is te suæ Ecclesiæ diu servet incolumem.
Salutat te D. Quirinus. Hodiè D. Godefredus quartum Codicis
postliminio redorsus est in Academia nostra. Vale. Hei-
delbergæ 21. Octobris. 1604.

37. D. Jacobo Grynæo D. Pareus
Salutem. Transituro isthic D. Lavatero nobis et vobis tam
merito et suâ indole charissimo, Pater observande, etsi te
occupatum sciam, et me haud otiosum tu nescias, volui ta-
men ad te τι γράμματα. Tua singularis in me benevo-
lentia valdè me afficit: magis tamen pia illa de παρρησίας
et Ὀρθοδοξίας sollicitudo et paterna admonitio. Meritò hanc
curam subis. Venerandus Beza, si nobis adhuc superest (quod
quidam negant) immunis curarum meritò est. Quis prater
te succedet proximè? Inprimis lumine illo Balthico D.
Pezelio